



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II

*EPISTULA DATA
BERNARDO FRANCISCO S.R.E.
CARDINALI LAW,
ARCHIEPISCOPO BOSTONIENSI*

*Venerabili Fratri Nostro
BERNARDO FRANCISCO S.R.E. Cardinali LAW
Archiepiscopo Bostoniensi*

Hominum quondam a conspectu digressus, sub panis specie manere voluit nobiscum ipse Dominus, supernum mentibus lumen animabusque exoptatum vigorem ut ministraret. Ex tanto enim sacramento fideles confirmati suam operam in cotidianis muneribus obeundis fortius studiosiusque praestare valent.

Prudenti de consilio novimus Congressum Eucharisticum Nationis Peruvianaee a die XXX mensis Augusti ad diem III mensis Septembbris futurum. Celebratio ipsa perquam opportune incohabit cum Sollemnitas inibi celebrabitur sanctae Rosae de Lima. Fideles namque, praeclaris incitati praestantis huius caelitis exemplis, frequentes accedent Corporis et Sanguinis Christi mysterium veneraturi, memores prorsus solidae illius doctrinae, quae largiter est quondam allata, ubi primum christiana haec ad loca religio delata est.

Cupimus et Nos nostro quoque tempore pietatis hae testificationes ut confirmentur et fides solidetur, quo latius pleniusque Salvatoris hodierni homines fruantur salute et ipsi hoc divino de Sacramento uberrimos capiant fructus. Hoc namque convivium plurimum affert efficacitatis et ad maiora patranda usque compellit, idque multum iuvat ut quisque Magni Iubilaei plenius adipiscatur beneficia.

Itaque congrua per suum Praesidem Excellentissimum Aloisium Armandum Bambarén

Gastelumendi Peruvianis Fratribus potentibus Episcopis, ut ritus sollempnissimus explicaretur, ad te,
Venerabilis Frater Noster, cogitationem Nostram admovimus, qui aptissimus visus es atque par ad
ministerium hoc sustinendum et efficaciter gerendum. Ideo fraterna affectione permoti, te Missum
Extraordinarum constituimus Nationis Peruviana ad Congressum Eucharisticum celebrandum.

Verba tandem Nostra transmittenda curabis et cohortationem ad Eucharistiae vehementiorem
cultum itemque omnibus participibus benevolentiam Nostram significabis. Benedictionem demum
Apostolicam Nostro nomine omnibus adstantibus largiaris copiose velimus, quae sit caelestis
praesidii nuntiatrix et felicioris temporis pignus.

Ex Aedibus Vaticanis die VIII mensis Iulii, anno MM, Pontificatus Nostri vicesimo altero.

IOANNES PAULUS PP. II

© Copyright 2000 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana